
Clarissime Domine.

Litterae tuae die 30 Iunii scriptae, una cum libro Praescriptionum adversus haereticos, quas dudum periisse arbitrabamur, ecce mihi de improvviso de Prochita insula a quodam mei amantissimo Episcopo adferuntur. Ubi latuerint tamdiu, unde ad Insulam appulerint, nemo qui sciat. Ac ne quidem ipse Episcopus referre potuit, quis is sit, qui ei litteras et librum deferendum dedit. Inscriptio nominis mei, praesertim cum in ea Insula sacerdotium possideam, fecit, ut litterae non perirent. Itaque hac ipsa die, quas litteras tuas eruditissimas, et suavissimas accepi, gratulandum tibi esse duxi, quoniam filius tuus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. De literatio tuo labore nihil habeo quod dicam, cum librum nondum perlegerim, spero tamen me inventurum, qualia coetera sunt, quae a te prodierunt, in quibus neque sermone elegantia neque sententiarum gravitas desideratur. Vale mei memor, et sarcinam meam episcopalem precibus tuis subleva. Datum Capuae die 8 Novemb. 1602.

[Justi Baronii Epistolarum sacrarum... lib.III, lettre XI, p.257]